



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

XVIII. Nescitis, quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. 1. Cor. 9. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

6. Considera nihilominus non dici cum peccatis & concupiscentiis, sed cum virtutibus & concupiscentiis. Peccata dicunt actum, Virtus habitum. Difficile est mortificationis exercitio illud consequi, ut non committatur peccatum etiam minimum. Facile autem, ut non servetur ullum vitium. Itaque vitia sunt, quæ singulari studio mortificare oportet, sive parva sint, sive grandia, non acquiescendo, ut more passionum in Cruce vivant, sed ut ibi moriantur. Id quoque favente Deo poteris obtinere.

XVIII.

Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. I. Cor. 9. 24.

1. Considera hanc vitam esse quasi viam, in qua curritur ad bravium, quod est gloria Paradisi. Omnes admittuntur ad cursum, sed multi pro eo, quod currant, stant immobiles. Unde non dicit Apostolus, *hi, qui in stadio sunt, sed hi, qui in stadio currunt.* Innumeri sunt, qui nec passum promovere dignantur perditæ addicti otio, crapulis, comediis, amoribus, & aliis ejusmodi diverticulis vituperio dignis. Quod si igitur de his ipsis, qui currunt, unus accipit bravium, quid illis fiet, quine quidem eunt?

2. Considera, quis sit iste tam fortunatus, qui dicitur consequi bravium. Fortè unus solus ex omnibus, qui magnâ solertiâ sectantur bonum: haud sanè, quia multi sunt, qui salutem consequuntur. Est solus ille, qui perseverat. Vide igitur, quantum intersit perseverare, & non esse, uti fortè tu es, instabilem in bono, quod facis. Vix aggredieris aliquod exercitium pietatis, & mox fastidis. Malum indici-

um. Insiste pervincendæ inconstantiæ naturali, quia plurimum habet periculi. Hæc enim est è signis certioribus pertinere aliquem ad infelicissimum numerum reproborum.

3. Considera idcirco adjunxisse Apostolum, *sic currite* (hoc est, *sicut is, qui accipit bravium*) *ut comprehendatis.* Dicit: *Currite.* Ut intelligas, in servitio Divino magnis passibus procedendum, laborandum, sudandum, & non, ut quidam solent, pro commoditate ambulandum. Dicit: *Sic.* Ut scias, currendum etiam esse modo debito, & non pro arbitrio agendum, sed insistendum vestigiis illorum, qui feliciter præcesserunt, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, imprimis verò Christi, qui in hoc cursu se Gigantem monstravit: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam.* Dicit: *ut comprehendatis.* Unde vides currendum etiam esse eo fine, ut teneas bravium, atque ad eò nunquam desistendum à cursu, donec pertingas.